DIATRIBE THEOLOGICA
Exhibens
Quæstiones aliquot
Selectas
DE

FOEDERE CONNUBIALI,

QUAS
Assistente Divini Numinis Gratia
PRÆSIDE
VIRO
Summe Reverendo, Amplissimo atq; Dignissimo
DOMINO
JOH. CHRISTOPHORO PFAFFIO,
S.S. Theol. D. ejusdemque Professore Publ. Ord. Celeberr.
Ecclesiæ Tubingensis Decano Vigilantissimo, Ducalis Stipendii
Theol. Superattendente Gravissimo,
Patrono atque Præceptore suo per omnem vitam pie devenerando,
publice defendet
JOH. LUDOVICUS CAMERARIUS, Reuttlingensis,
S. S. Theol. Stud.
ad diem Junii Anno MDCCXVIII.
Horis ante & pomeridianis in Aula Theologorum Nova.

TUBINGÆ, Typis JOSEPHI SIGMUNDI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

בשי

Quæſtio I.

Num ab Orthodoxo Magiſtratu Heterodoxi in Civitate ſeu Provincia ſua matrimonium inituri & in ea civiliter habitaturi tuto ſalvaq; conſcientia ſuſcipi poſſint?



Enſus hujus ζητήματος ut eo melius conſtet, in ipſo ſtatim limine prænotandum eſt, (1.) Heterodoxos eſſe vel *extra Eccleſiam*, ut Judæi, Turcæ & Gentiles, vel *in Eccleſia*, licet non de Eccleſia ut Pontificii, Calviniani &c. de his, non de illis potiſſimum hîc quæritur. (2.) Civitates ſeu Provincias ratione Religionis diſtingui in *puras*, in quibus una eademque vera Religio eſt, & *mixtas*, in quibus diverſæ Religionis exercitium publicum viget, quando ſcil. ſubditi in duos quaſi ramos abiêre & æqualiter ferme diviſi ſunt, ut pars una veræ, pars altera falſæ Religioni adhæreat. de prioribus non de poſterioribus controvertitur. (3.) Poteſtatem Magiſtratus eſſe vel *abſolutam* ſive liberam, certisque pactis aut conditionibus non implicatam, vel *limitatam* & in Capitulatione per pacta & promiſſa reſtrictam, de illa non de hac impræſentiarum quæſtio eſt. Quibus προλεγομένων loco præmiſſis Negativæ ſubſcribimus, pro qua ſequentia militant argumenta.

Primum deſumitur ex 2. Joh. v. 10. 11. ubi DEUS per Apoſtolum receptionem ἑτεροδόξων diſerte interdixit, verba ejus hæc ſunt: Siquis ad vos venit, neque affert hanc doctrinam (ſubintellige a me reliquisque Apoſtolis vel voce vel ſcriptis traditam) ne recipiatis eum in ædes, nec ave ei dixeritis, nam qui illum recipit, & ave illi dicit, communicat operibus ejus malis, ad quem locum obſervari debet, Apoſtolum ipſa officia humanitatis & opera miſericordiæ cuivis homini præſtanda alienæ fidei deditiis non negare Gal. 6. v. 10. neque enim amabilis Theologus hæreticos fame ſitive perituros

cibare

cibare & potu reficere aut frigore enectos tecto recipere ac refocillare vetat Esa. 58. v. 7. Luc. 10. v. 33. & seqq. aut plane omnem consuetudinem atque cohabitationem illis renuntiare jubet, sed dehortatur à scandalosa & multis modis periculosa cacodoxorum receptione, per quam frater infirmus offensionem incurrit & periculo seductionis exponitur, quo casu præstat eam recusare, devitanda enim quæ vis mali species 1. Thess. 5. v. 22. Anathema sit vel Angelus, aliûs Evangelii præco Gal. 1. v. 8. Anathema Moranatha, qui JEsum Christum non diligit 1. Cor. 16. v. 22. Ecquî igitur receptione dignandus? vid. B. D. Sonntag. Hypom. Misc. in poster. Epist. Johan. p. m. 78. & seqq. Insigniter autem falluntur moderni Separatistæ, ex præsenti loco inepte colligentes, conversationem etiam civilem, quæ in colloquiis, commerciis & contractibus consistit, cum heterodoxis atque impiis ab Apostolo prohiberi, stante enim hac ψευδερμηνεία ipsemet Christus, cum improbis Pharisæis & Sadducæis familiari sæpe usus conversatione reprehensionem incidit confer. B. Schom. Disput. Inaug. de Separat. §. 31. Quandoque necessitate adigimur, ut ad sustentationem vitæ nostræ & comparationem rerum necessariarum inter flagitiosos & falsam Religionem sectantes nobis vivendum sit & homo homine ob congenitam vitæ solitariæ fugam ac inevitabile quotidianæ consuetudinis commercium indiget.

Secundum argumentum petitur à variis incommodis, quæ voluntaria mixtæ Religionis admissio conjuncta habet, verendum enim est, ne vel α Orthodoxi & inter eos maxime ἀςήρικτοι veram fidem plane deserant, & perversæ doctrinæ participes reddantur juxta tritum illud: Claudo cohabitans claudicare discit, siquidem ἑτεροδοξία ad instar gangrænæ serpit, quæ lento gradu membris illæsis vitiatas addit partes, nisi mature medicina adhibeatur 2. Tim. 2. v. 17. vel β metuendum est, ne opinionum συγχύσει sive Syncretismo in negotiis fidei via sternatur latissima, veritas enim doctrinæ apud simpliciores redditur dubia & suspecta, vel minimum eo perducuntur simpliciores, ut doctrinas falsas pro opinionibus indifferentibus habeant, rati, parum interesse sive hoc sive illud statuatur aut credatur. Unde DEUS, ne introduceretur Syncretismus, tam typice & allegorice quam expresse in verbo suo interdixit, typice quidem, cum prohibet animalium diversi generis commixtionem, mixtas diversorum seminum & fructuum species in agro, vinea, item usum vestimentorum ex lana linoque contextorum Lev. 19. v. 19. Deut. 22. v. 9. 10. 11. expresse autem, cum Israelitæ Infideles e terris suis pellere jubentur, ne peccaminoso eorum cultui & ipsi accedant, ruinamque si

ccerſant Exod. 23. v. 33. Num. 33. v. 52. Deut. 7. v. 2. porro cum Paulus vetat
ἑτεροζυγίαν 2. Cor. 6. v. 14. Eph. 5. v. 7. cum docet, hæreticos eſſe vitandos
Tit. 3. v. 10. & parum fermenti totam maſſam corrumpere 1. Cor. 5. v. 6. Gal. 5.
9. cum aſſerit, unam eſſe fidem Eph. 4. v. 5. ulterius, cum tolerantia erran-
ium culpatur Apoc. 2. v. 14. 15. & Chriſtus tepidos in fide rejecturus dicitur
Apoc. 3. v. 15. 16. v. Bald. Caſ. Conſc. p. 150. vel γ. periculum eſt, ne turbis &
ditionibus excitandis anſa ſubminiſtretur, quas civitates mixtæ abunde com-
robant, diſſenſio enim in fide tum Eccleſiæ tum Reipublicæ diſſolutio, mul-
rumque diſſidiorum origo eſt teſte B. Meiſnero qui Phil. S. P. 3. Sect. 2. c. 2.
.5. p. 888. hæc nervoſa habet. *Nulla unquam familia fuit, in qua diſſentiens eligio pacem non turbârit, Exemplo eſt diſcordia inter Iſaacum & Iſmaelem familia Abrahæ, inter Jacobum & Socerum Laban in Meſopotamia. &c. uomodo ergo in toto regno, provincia, civitate pax & concordia ſperari po-ſt, ubi Religionis ac fidei ſumma eſt diſcordia.* Hinc Apoſtolus Rom. 16.
17. 18. ſcribit. Obſecro vos fratres, ut obſervetis eos, qui διχοστασίας &
andala contra doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & devitate eos, nam
r blandiloquentiam atque adulationem ſeducunt corda innocentium.

Tertium argumentum fundatur officio pii & orthodoxi Magiſtratus,
jus inter alia etiam hoc eſt, ut nonniſi unam eandemque veram Reli-
onem in Republica ſua foveat, ac tueatur, quamdiu ſine graviori ejus de-
mento id fieri poteſt, neque quasvis ſectas in gremium ſuum debet re-
pere, ſed iisdem ſummo conatu re ſiſtere atque Rempublicam ab omni cor-
ptelarum labe immunem conſervare. *In hoc enim Reges & Magiſtratus,* quit Auguſt. L. 3. contra Creſc. *ſicut divinitus præcipiuntur, DEO ſer-unt, ſi in regno & urbe ſua bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum æ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam, quæ ad divinam Re-ionem. Quis quæſo non rectæ rationis delirium cenſuerit, ſi zizania in rtum, gangrænam in corpus, peſtem in domum, vulpem in Gallinarum co-rtem admiſeris fruſtra lupos collocas inter oves ne ipſas deglutiant, fru- locuſtas in agros, ne fruges comedant, fruſtra anguem in ſinum, ne mor-at, imo fruſtra ignem domui ſubjicis ne ardeat* ſunt verba Bebel. in Diſp.
damnis Rel. falſæ mixtæque in Rep. Incidunt tamen tempora, quibus pii
ges & Magiſtratus pacis publicæ retinendæ cauſa vitandarumque inteſti-
um ſeditionum neceſſitate adducti coguntur exemplo peritorum Naucle-
um tempeſtati cedere ac ſuperſtitioſos erranteſque ſuſcipere, ut potius ali-
& Reſpublica & Religio habeatur quam nulla. Quò reſpicit B. Hülſ. in
tenſ. Brev. Theol, c. 20. theſ. 10. dicens: *Heterodoxos circa fidem ſalvifi-*

cam

cam aut pietatem eorumque cœtus Christianus Magistratus neque quoad opinionem nec quoad exercitium debet tolerare lucri aut alia quacunque de causa, nisi periculum externum violentæ eversionis & ejectionis e provincia illa ipsi Ecclesiæ orthodoxæ probabiliter timeatur confer. Pufend. de Hab. Rel. p. 232. & Budd. in inst. Th. Mor. p. 2. c. 3. ſ. 7. p. 804. hinc olim tres illæ ſecti Pharisæorum, Sadducæorum & Essæorum in Judæa ſub adventum Christi in mundum junctim dominabantur.

Quarto accedit præter modo allegatorum Theologorum ſuffragia etiam calculus Lutheri, Gerhardi, Musæi aliorumque utut affirmativam plerique Politicorum ſimpliciter teneant & defendant, quorum argumenta collegit Schrimeierus in Spec. Pol. quæ ſingula cum instituti nostri ratio recenſere non permittat,, duo potiora ſolummodo tangemus. Unum quod ex Matth. 7. v. Luc. 6. v. 31. deſumunt. Ideo enim,, quia Christus dixit: quod tibi vis fieri alteri quoque feceris, putant Politici, Magistratum Christianum recipere posse Heterodoxos. nos inquiunt, ubique cupimus in ſocietatem civilem rec... E. & nos recipiamus omnes legibus nostris ſeſe ſubmiſſuros Sed etiamſi concedamus, Heterodoxos recte agere, ſi ſuſcipiant orthodoxos, & Turcas Ethnicosque hodie laudandos eſſe, ſi admittant Christianos & Evangelii prædicationi non reſistant, inde tamen pari ac reciproco jure non inferre licet, quaſi Heterodoxi, Turcæ atque Ethnici viciſſim recipiendi, iisque libertas ſuperstitionis ſuæ propagandæ concedenda foret, ùti enim receptionem veritatis in infidelibus non poſſumus non collaudare; ita receptionem mendacii (ſi ita loqui fas est) in fidelibus non probamus, quandoquidem verum ab errore ſeu à mendacio maxime differt, & veritas omni favore ſemper digna eſt, non item error & mendacium. Deinde, niſi pacta fundamentalia, niſi ſpes lucri niſi neceſſitas aut atheiſmus forte concedat, ut toleremur & admittamur, relègabimur certe ad ultimos Garamantas usque & frustra domicilium nedum civilegium apud illos quæremus. Alterum quod hîc diſſentientes objiciunt, argumentum nititur ſpe converſionis, quæ recipiendo allophylos in Rempublicam, quâ Evangelii veritas publicè docetur, magis affulgeat, quam ſi inter ſuos in tenebris oberrantes ſemper hærere jubeantur, ipſisque via, quo minus convertantur, præcludatur. Verum hæc objectio in receſſu non habet, quod à fronte alias videtur polliceri, nam ratio isthæc in V. T· æque locum habebat, eam tamen non obstante DEUS populo ſuo interdixit, ne infideles & à religione ſua alienos ſibi cohabitare permitteret, prout ex locis Scripturæ ſupra citatis constat. Nec malum faciendum eſt, ut inde bonum proveniat Rom. 3. ... accedit quod converſio Heterodoxorum corvo albo rarior ſit, id quod mi...

n...

miraberis, ſive indolem eorum examines, ſive in exempla vel converſorum nquiras, oppido pauca, vel ſeducentium alios, ſane quam plurima. Imprudenter certè quis agit, ſi vel peregrinis peſte infectis hoſpitia aperiat ſub ſpe emedii à Medicis inquilinis procurandi, vel ignem domui ſubdat, quod reſtinguendis incendiis tam bene ordinata ſint omnia. Si vel una anima à Chriſto redemta veneno inficeretur, ac ex imprudentia noſtra periret, ſatis id damni foret, de quo ſummo Judici rigida reddenda ratio. Diſtinguimus itaque nter id, quod optandum & quod ſperandum, optandum quidem & ſeriis recibus à DEO flagitandum, quin & pio Magiſtratui in id ſummo ſtudio incumbendum, ut ἑτερόδοξοι in viam reducantur, ſed quæ bona ſperatur converſio, peſſima ſæpe fit perverſio conf. Beb. d. l.

Quæſtio II.

An a Magiſtratu Evangelico præter caſum adulterii & malitioſæ deſertionis plurium juſti divortii cauſarum licita fieri poſſit conſtitutio?

Antequam ad problematis hujus διάσκεψιν transgredimur, præmonemus, Chriſtum unicam duntaxat legitimi divortii cauſam aſſignare Matt. 5. v. 32. & 19. v. 9. adulterium ſc. non *internum* Matt. 5. v. 28. quod in foro poli & conſcientiæ tale eſt, aliâs conjugia fere quævis dirimenda forent, ſed *externum* quod in foro ſoli & hominum coram Magiſtratu Politico tale eſt atque carnis nitatem externo actu diſſolvit. Deinde non *violentum*, cum per vim alini vitium infertur, violenter enim vitiata pro vere vitiata reputari nequit, uia ex animo, non ſemper ex actu æſtimanda ſunt delicta, & ubi deeſt aſſenſus, ibi in foro civili etiam reatus atque pœna ceſſat. Hinc Auguſt. *Ipſi Corpori non aufert ſanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſervat perſeverantia continentiæ ſuæ*, ſed *ſpontaneum*, plena voluntate & ſcientia commiſſum. Nec denique *duplex* ſolummodo, quando maritus cum alia uxore conueſcit & vice verſa, ſed et *ſimplex*, quando ſolutus cum conjugata, juvenis cum uxore aut maritus cum ſoluta concumbit, adeoque nomine adulterii quævis illicita commixtio perſonæ conjugatæ cum alia ſive ea cælebs ſit ſive etiam conjugata h. l. comprehenditur, quoad divortium enim nihil intereſt, perinde fides conjugalis & ſubſtantialia matrimonii poteſtatem corporis ſui alteri tradendo violantur. Jungit autem Apoſtolus adulterio deſertionem, non quidem *voluntariam*, quæ cum utriusque partis conſenſu ſuſcipitur, ut ſi quis conſentiente uxore ſua præliandi vel negotiandi gratia in peregrinas abeat terras (quæ proprie ſic dicta deſertio non eſt, verum diſceſſio ob honeſtam

B çauſam

causam ad certum duntaxat tempus instituta, στοργὴν conjugalem inter absen-tes non tollens) sed *malitiosam*, quâ quis tanquam homo ἄστοργος data opera & nulla prorsus causa sontica motus sed temeraria levitate & malitia adductus vel clam vel palam ab uxore ipsa invita & reluctante discedit, nec animum redeundi habet 1. Corinth. 7. vers. 15. Casu priori vid. adul-terii vinculum conjugale ipso jure solvi potest & solvitur. Quando enim alterutra conjugum pars fidem conjugalem per adulterii crimen frangit, tum altera innocens pars jure divortium a competente judice causarum matrimo-nialium petere, eoque impetrato aliud inire matrimonium potest. Casu po-steriori vero matrimonium ex parte desertoris solvitur defacto atque temere & parti innocenti, quæ ad cohabitandum parata erat, & per quam non stetit quo minus illud continuaretur, conceditur à Judice competente finito legitimo desertionis processu jus & potestas novum in eundi matrimonium vid. B. Mus in Thes. de Conj. Th. 44. 45. p. m. 21. 22. Cum igitur juxta tenorem scripturæ duobus tantum casibus vinculum conjugii, utroque conjuge superstite rum-patur, neque ulla alia causa præter modo dictas ex sacris Pandectis possit pro-duci, ob quas divortiorum licentia in N. T. fuisset concessa, facile constat quid ad quæstionem propositam respondendum sit. Ad evitandam vero λογο-μαχίαν adhuc præmittimus brevem ambiguæ vocis divortii ἐξήγησιν, sumi-tur enim vel *generaliter* pro separatione sponsi & sponsæ sive conjugii non-dum quidem consummati, sed tamen promissi & pacti, quo sensu rectius re-pudium sive sponsaliorum dissolutio dicitur, vel *specialiter* pro separatione mariti & uxoris, & hac significatione accipitur denuo vel *improprie* pro sepa-ratione eorum, inter quos nunquam verum & ratum intercessit matrimonium ut si propter errorem personæ, ob conjugium in aliquo gradu consanguini-tatis jure divino prohibito contractum &c. instituitur divortium, vel *proprie* pro separatione eorum, inter quos verum & ratum extitit matrimonium. Atque posterior hic significatus hujus loci est. Quibus de vero quæstionis sta-tu prælibatis negativam tenemus, pro cujus confirmatione cum Theologis nostri sequentes producimus rationes. (1) de causis legitimi divortii, (quo separationem quoad vinculum non quoad thorum & cohabitationem, ut Pon-tificii, intelligimus) ex solo Codice sacro judicari debet. v. B. Scherz. Syst. L. XXVII. §. 18. Jam cum ex antedictis duæ tantum causæ ibidem expressæ sint colligitur, Magistratui Evangelico, cui ad supremi Judicis vocem ipsiusque voluntatis immotam normam respiciendum est, integrum non esse plures his supperaddere ac introducere, quotquot enim causæ à Christo & ejus Apo-

stol

ſtolo aſſignatæ leguntur, tot in Eccleſiâ Chriſtiana obſervandæ ſunt. Atqui duæ &c. E. (2.) Si plures juſtæ ac validæ forent cauſæ, propter quas intercedente Magiſtratus autoritate (quam omnino neceſſariam ducimus, cum nemini in ſua ipſius cauſa judici eſſe liceat) divortium fieri poſſet, iſtas certe Chriſtus & Apoſtolus πᾶσαν τὴν βȣλὴν τȣ̃ Θεȣ̃ ὑμῖν ἀναγγείλαντες Act. 20. v. 27. non diſſimulaſſent, alias maxime Salvator noſter à Phariſæis de quacunque cauſa interrogatus unam indicando & reliquas reticendo propoſitæ quæſtioni non ſatis feciſſe adeoque officio ſuo defuiſſe cenſendus eſt. (3.) Tam privatis quam publicis perſonis ſub certa pœna interdicitur, ne Scripturæ verbis quicquam addant Apoc. 22. v. 18. E. cauſas divortii ſufficienter ibi enumeratas veriſimile eſt, nec per conſequens Magiſtratui alias conſtituere licet (4.) ſtante ſententia contraria quilibet hanc vel illam gravem & juſtam venditare poterit cauſam, & ſic infinitis divortiis dabitur locus, unde Magiſtratus nodum non laxet, quem ſtrinxit Dominus. Qui plures deſiderat rationes, adeat B. Gerh. Tom. 7. L. L. Theol. §. 601. & ſeqq. cui jungi merentur B. Chemn. P. 2. Exam. Conc. Trid. cap. de Matrim. p. m. 442. Dannh. P. 2. Theol. Conſc. p. 807. & Stratem. P. 3. Quæſt. Acad. Art. XXIV. c. 9. Q. VII. p. m. 175. Equidem ὁ δεῖνα aſſerere non veretur, *matrimonium in ſe & ſua natura nihil aliud eſſe, quam negotium civile humanum*, *unde*, inquit, *nec aliter conſiderari debet in foro, quam ut contractus curæ Principis relictus ad decorem & emolumentum Reipublicæ*, & paulo poſt: *quemadmodum ad ejus curam ſpectat providere, ne promiſcua divortiorum licentia Reipublicæ detrimentum afferat, ita in ejus poſitum eſt arbitrio cauſas determinare, quibus divertere liceat, aliasque præter adulterium & malitioſam deſertionem admittere* &c. Ita ille, ſed perperam, nam contractus matrimoniales ſe non habent ad modum contractuum mere humanorum & civilium, niſi quis ſtatuere velit, matrimonia ut mutuo conjugum conſenſu contracta ſunt, ita quoque mutuo eorum conſenſu vel potius diſſenſu juxta reliquos ſocietatis humanæ contractus reſcindi poſſe, quemadmodum v. gr. emtio alicujus agri mutuo fit emtoris & venditoris conſenſu quorum uterque ſi conſentit, ut contractus hic reſcindatur, id licite fieri poteſt, at in conjugio hoc neutiquam procedit, neque enim eadem eſt in diſſolutione vinculi conjugalis libertas per diſſenſum, quæ fuit in ejusdem obligatione & conſtrictione per conſenſum, conjugium quippe à DEO ita inſtitutum eſt, ut qui ſemel in illud conſenſerunt, amplius ſeparari nequeant ex aliis videl. cauſis, quam quæ in ſcriptura ſacra manifeſte leguntur determinatæ. Vinculum hoc multo firmius & arctius eſt quam inter Parentes & Liberos, quia homo relinquet Patrem &

Matrem & agglutinabitur Uxori suæ Gen. 2. v. 24. Matt. 19. v. 5. Marc. 10. v. 7. Eph. 5. v. 31. Sicut ergo naturalis obligatio filii ad observantiam, quam debet Parentibus, est indissolubilis, ita illa obligatio ex mutuo consensu orta natura sua est indissolubilis, à quâ nec alterutri nec utriq; parti proprio ausu discedere integrum. Accedit quod matrimonium dicatur fœdus DEI, non hominum Prov. 2. v. 17. similiter Mal. 2. v. 14. Conjux nuncupatur socia viri & uxor fœderis, inter quam & maritum DEUS ipse testis sit conf. 1. Cor. 7. v. 10. & Bechm. Inst. Theol. P. 3. L. XVI. p. 730. Proinde asserimus, conjugium esse juris mixti, divini & humani, *divini* tum ratione causæ efficientis primæ, DEI, qui stimulos homini ad appetendam hanc conjunctionem in primæva statim creatione indidit, neque alio modo quam per hanc societatem genus humanum multiplicari jussit, hinc in Paradiso ipse primus quasi paranymphus erat Gen. 2. v. 22. tum ratione alicujus finis, Ecclesiæ scil. propagationis, tum ratione adjuncti, Typi videl. spiritualis conjugii inter Christum & Ecclesiam. *Humani* juris autem est respectu causarum internarum & reliquorum finium. Ex quo patet, Magistratui excluso penitus Ministerio Ecclesiastico judicium causarum matrimonialium unice vendicandum non esse, sed ad earum cognitionem & dijudicationem etiam Theologos, qui Scripturam doctrinæ hujus normam pro officii ratione in Ecclesia vel Academiis tractant & quorum est informare conscientias de casibus dubiis in hac materia cumprimis occurrentibus, admittendos & adhibendos esse: neque enim Christus Quæstionem Pharisæorum matrimonialem à se amolitus devolvit ad Magistratum Politicum, prout de hæreditatis divisione & de pœna civili adulteræ consultus Luc. 12. v. 14. Joh. 8. v. 11. sed ex sacris literis eam decidit. Eodem modo etiam Paulus varia hujus generis problemata à Corinthiis sibi proposita solvit 1. Cor. 7. Cæterum non diffitemur, institui posse divortium γενικῶς & ἀκύρως sic dictum ob causas aliquas à Canonistis enarratas, de quibus, cum brevitatis studio singulas sub examen vocare non liceat, præter citatos Authores evolvantur Chem. P. 3. LL. Th. p. m. 508. seqq. Mentz. Tract. de Conj. p. m. 311. seqq. Bidemb. de Caus. Matrim. præsertim Krom. Theol. Pos. Polem. Art. XXI.

Quæstio III.

Utrum Leges & Constitutiones Levit. 18. & 20. de gradibus matrimonii prohibitis sint universales & perpetuæ, an vero particulares & temporariæ?

Tractationi hujus Quæstionis præmittere placet characteres ac notas al-

quo

quot generales, quibus obſervatis univerſalis & perpetua Legis alicujus Moſaicæ obligatio cognoſci poteſt, ſunt autem iſtæ ſequentes: (α.) *Si lex aliqua in Novo fœdere iterata recurrit ſive* αὐτολεξεὶ ad verbum vel explicite ſive διανοητικῶς quoad ſenſum vel implicite, univerſaliter & perpetuo obligat, ut Lex de Polygamia illicita Gen. 2. v. 24. quæ repetitur Matth. 19. v. 5. 6. Lex de litibus interventu juramenti tollendis Exod. 22. v. 11. quæ recurrit Ebr. 6. v. 16. (β.) Si Lex Moſaica ex naturalibus deducta eſt principiis (γ.) ex Lege morali liquido hauſta (δ.) Si ratio Legi ſtatutæ adjecta univerſalis & perpetua eſt, Lex quoque ipſa talis cenſetur (ε.) Si in V. T. Lex aliqua ejusmodi declarationem additam habet, quod DEUS à Gentibus ob violationem pœnas ſumſerit. Ubicunque vero in Lege Moſaica notæ modo recenſitæ non occurrunt, ſed contrarium potius deprehenditur, iſtius Legis obligatio in N. T. ceſſaſſe & conſequenter Lex particularis & temporaria judicatur vid. B. Meiſn. Ph. S. P. 1. *Sect.* 2. Q. 3. p. m. 598. ſeqq. Nunc ſi ad trutinam harum Regularum expenderimus Conſtitutiones Lev. 18. & 20. contentas, apparebit manifeſtiſſime, earum obſervationem non particularem & temporariam ſed univerſalem & perpetuam eſſe. Etenim

I. Expreſſa harum LL. in N. T. habetur repetitio, & quibusvis etiam Regibus præfracta earundem violatio interdicitur ut (a) Matth. 14. vers. 4. Marc. 6. v. 18. cum Johannes Baptiſta Herodis inceſtum ex autoritate Lev. 18. v. 16. c. 20. v. 21. argueret, dicens, ὐκ ἔξεςί σοι ἔχειν τὴν γυναῖκα τῦ ἀδελφῦ σῦ (b) 1. Cor. 5. v. 1.-5. ubi Paulus itidem ex fundamento Lev. 18. v. 7. 8. c. 20. v. 11. Deut. 22. v. 30. c. 27. v. 20. Corinthium Inceſtuoſum, Patris ſui thorum contaminantem, publice redarguit & Satanæ traditum excommunicationi ſubjecit. Qui Scripturæ locus infallibili indicio eſt, ordinationes de gradibus matrimonii prohibitis univerſales eſſe, alias enim Chriſtianis non incumberet ad earum normam ſeſe conformare, & LL. particulares ſoli populo Judaico latæ Meſſia, ὃς τέλος τῦ νόμυ Rom. 10. v. 4. in carne exhibito abrogatæ ſunt. Lex enim & Prophetæ usque ad Johannem (excluſive ut numero Prophetarum V. T. eximatur) prophetârunt Matth. 11. v. 13. Luc. 16. v. 16. unde Apoſtolus dicit, circumciſio & præputium nihil eſt Gal. 6. v. 15. & alibi: Nemo vos judicet in cibo aut potu aut in parte diei feſti, aut neomeniæ aut Sabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti Col. 2. v. 16. 17.

II. Prohibitiones graduum Levit. 18. & 20. deſcriptorum ſunt juris naturalis

turalis & omnium ſanorum gentilium mentibus inſculptæ, etſi quoad eorum determinationem diverſitas aliqua apud ipſos occurrat, uti patet (a) ex loco paulo ante allegato 1. Cor. 5. v. 1. quo Apoſtolus diſertis verbis ait, talem fornicationem, ut quis Patris ſui uxorem duxerit, ne inter Gentes quidem audiri. E. lege naturæ prohibitam eſſe oportet juxta ejusdem effatum: Opus Legis ſcriptum eſt in cordibus Gentium Rom.2. v.15. hinc Jacobus ante ſolennem Legis Moſaicæ promulgationem filio ſuo Ruben maledixit, quod novercam ſuam attigerat, ſeque inceſto facinore polluerat Gen.35.v.22. c.49. v.4. (b) ex Legibus Romanorum civilibus ab Ethnicis profectis, cum ipſis LL. divinis ex aſſe conſentientibus. Ubicunque igitur harmonia eſt inter Moſen & Ethnicos, hos jure naturæ niti neceſſum eſt, quia cum LL. Ceremonialibus & Forenſibus ipſis nihil commune (c) ex honeſtis aliarum Gentium ſtatutis, unde ſunt, qui putent, ex eo, quod Abrahamus & Iſaacus Uxores ſuas inter Gentiles, cum quibus ſibi commercium erat, vocârint ſorores, colligi poſſe, ipſos ita conjugium cum propria ſorore faſtidiviſſe, ut audito nomine ſtatim perſuaſum haberent, eas non eſſe uxores Gen.12.v.13.ſeqq.c.20.v.2. ſeqq. c.26. v.7.ſeqq. utut ergo matrimonia à Paganis quibusdam in gradibus prohibitis inita ſint, ea tamen non evincunt, jure naturæ gradus illos eſſe licitos, ſed argumento ſunt, contra juris naturæ præſcriptum & dictamen eos egiſſe. De naturali brutorum quorundam horrore congreſſus cum carne ſua ad ſui multiplicationem teſtis eſt Ariſtot.L.9.c.47.de Hiſt.Animal.& ex eo Muſ.l.c.ubi duplicem memoratu dignam hiſtoriam narrant. Unam de Camelo, quem admiſſario deficiente Curator Camelorum matri opertæ admiſerat, ſed qui delapſo operimento & agnito, cum matre ſe rem habuiſſe, Camelarium velut ſceleris auctorem interfecerit. Alteram de Equo Regis Scytharum, qui admiſſus matri congreſſum prorſus recuſaverit, ubi autem matri opertæ ſuperveniſſet, detecta & agnita facie matris fugam arripuerit & ſeipſum actum præcipitem interemerit.

III. Leges de prohibitis cognationis gradibus morales eſſe conſtat ex Ezech. 22. v. 10. 11. ubi obſerva, per totum ferme caput à Propheta redargui peccata contra legem moralem, E. etiam hæc media ejusdem generis probabiliter cenſentur. Sic Amos c. 2. v. 7. recitatis aliis enormibus delictis contra Decalogum pergit: Et filius & Pater, inquit Dominus, iverunt ad puellam ad violandum nomen ſanctitatis meæ, adde quod hæ LL. in uno eodemque contextu cum moralibus indivulſe conjungantur ut Lev. 18. gradibus prohibitis annectitur lex de vitando adulterio v. 20. de fugienda idololatria v. 21. Lev. 20 pœnis violatoribus horum graduum conſtitutis annectitur pœna eorum, qui abeunt ad hariolos v. 6. qui maledicunt Pa-

renti-

rentibus v. 9. &c. quæ omnia Legi morali è diametro repugnant E. idem de graduum prohibitione judicandum eſt.

IV. Ratio ſtatutis iſtis ſubjuncta univerſalis & perpetua eſt, quicunque enim fecerit ea, inquit Jehovah, vivet in eis Levit. 18. v. 5. Ezech. 20. v. 11. Rom. 10. v. 5. Gal. 3. v. 12. E. ipſa ſtatuta ſunt generalia & perpetua, ac proinde non ſolos Judæos ſed omnes omnino homines obſtringunt.

V. Gentes violatorum conjugii graduum ſolis Judæis lege poſitiva prohibitorum pœnas dediſſe, Nomotheta expreſſis verbis teſtatur Lev. 18. v. 28. quas ſane non ſuſtinuiſſent, niſi ipſa natura & ratio illis dictâſſet, qui gradus eſſent prohibiti, certum enim eſt, juris naturæ eſſe illud, propter cujus prævaricationem Ethnici à DEO puniuntur. Transgreſſione legum particularium pœnæ divinæ rei non fiunt, eo quod ipſis non ſunt latæ. At transgreſſione præceptorum de gradibus pœnæ divinæ rei facti ſunt. E ſequi neceſſe eſt, hæc præcepta ipſis lata & per conſequens obligationem eorum eſſe univerſalem. Conferatur B. Dannh. Coll. Decal. p. 784. ſeq. Dign. Dn. Præſ. in Suppl. ad Synops. Thum. p. m. 537. 538. & Magnif. Dn. D. Schweder, Patronus atque Hoſpes meus ſubmiſſo animi cultu ad cineres usque proſequendus in Diſſ. de Imped. Matrim. §. 16. p. 27. De cætero vana eſt Pontificiorum exceptio, obſtrepentium, alios eodem plane modò peccaſſe, neque tamen æquali pœna affectos eſſe. E. nec gentes præciſe propter conjugia inceſta, ſed potius propter idololatriam, adulteria &c. pœnam incurriſſe. Transgreſſoribus enim unius ejusdemque Legis diverſæ ſæpius in hac vita infliguntur pœnæ, & Ethnici in Textu diſerte non propter aliqua tantum ſed propter omnia flagitia, queîs includuntur quoque matrimonia in gradibus prohibitis inita, dicuntur pœnas ſuſtinuiſſe. Inſtabis autem, ſi dicta LL. Moſaicarum obligatio foret univerſalis & perpetua, ſemper obligaſſent, etiam ante earum ſolennem promulgationem, at poſterius hoc non eſt, Exempla enim Sanctorum non pauca in promtu ſunt, qui gradus Leviticos minus obſervârunt, ut Jacobus junxit ſibi duas ſorores Gen. 29. contra Lev. 18. v. 18. Judas Patriarcha dedit filio ſuo ſecundo genito nuptum uxorem defuncti primogeniti Gen. 38. v. 8. contra v. 16. c. 20. Lev. 18. v. 21. Amram duxit uxorem Jochabed amitam ſuam Exod. 6. v. 20. contra Lev. 18. v. 12. c. 20. v. 19. Denique Filii Adami matrimonio ſibi junxerunt proprias ſorores contra v. 9. 11. c. 18. & quæ alia ſunt hujus generis exempla. Verum Rc. generatim ad datas inſtantias (α) Non ex Exemplis de Regula ſed ex Regula de exemplis judicandum (β) Exempla hæc nobis non eſſe propoſita ad imitationem ſed ad cautionem, *non enim videndum eſt*, inquit Cypria-

Cyprianus, *quid vel hic vel ille etiam ex ſanctis fecerit, ſed quid DEUS in verbo patefacto fieri vel juſſerit vel prohibuerit.* (γ) Deum hoc fine Legem naturalem per lapſum Adamiticum quodamodo in cordibus hominum obſcuratam lege degradibus prohibitis ſolenniter repetita voluiſſe ſtabilire, unde exempla allata obfuſcationem luminis naturæ innuunt, nequaquam autem ipſi Legi præjudicio ſunt (δ) Patribus ex vitio temporum & conſuetudine Gentium, inter quas verſabantur, non parum adhæſiſſe contagii, hinc DEUS dicitur nævos Judæorum, qui in mores abierant, τροποφορήσας Act.13. v.18. v.B.Mentz.l.c. Chemn. l.c. & Bucan. Inſtit. Theol. L.XII. p.m.118. Quod autem in ſpecie filios Adami concernit, communis alias Doctorum ſententia eſt, ſummum Nomothetam in conjugiis eorum defacto diſpenſaſſe, ſunt tamen, qui ſalvo aliorum judicio malint ſtatuere, Deum illa conjugia ob inevitabilem neceſſitatem (cum genus humanum marium fœminarumque conjunctione ad ejus propagationem opus haberet, neque tamen in toto terrarum orbe aliæ fœmellæ extarent, quam Sorores) potius permiſiſſe ſeu toleraſſe, quam in illis diſpenſaſſe. Ex quo ſequitur, LL. iſtas divinas multo minus admittere diſpenſationem Magiſtratus, cum miniſter, qui infra Dominum ſuum Gen. 50. v.19. Matth.10. v.24. Luc.6. v.40. Rom.13. v.4. Leges ſuperioris ſui tollere nequeat. Ejus enim eſt ſolvere, cujus eſt ligare, & ad quod ſubjectum pertinet promulgatio Legum, ad hoc etiam pertinet diſpenſatio in LL. promulgatis, deinde poteſtatem LL. divinas relaxandi ſibi arrogare nota & character Anti-Chriſti eſt, quo ſe ſupra ipſum DEum effert 2. Theſſ. 2. v.4. adhæc nemo hominum in LL. naturalibus & moralibus, quales ſunt LL. illæ matrimoniales in Levitico extantes, uti paulo ante oſtenſum, diſpenſare valet. conf.Matth.Syſt.Theol.L.36. S.3.p.m.562.ſeq. alia autem ratio eſt Legum de gradibus jure humano municipali ſc. prohibitis, in his enim diſpenſationem Illuſtribus præcipue perſonis graviſſimas ob cauſas, nempe ob Reipublicæ ſalutem & Dignitatis conſervationem concedi poſſe extra dubium eſt, ſiquidem prohibitiones humanæ ad majorem ſanguinis reverentiam tuendam divinis additæ pro locorum, temporum, perſonarum aliarumque circumſtantiarum ratione mutabiles ſunt v. Magnif. Dn. D. Schwed. l. a. §.12. p.22.

Magiſtratus tamen inferior neque in his gradibus proprio auſu citra indultum ſuperioris, cujus vices ſubit, diſpenſationem licite largiri poteſt.

Quæſtio-

Quæſtio IV.

Num ex Lev. 18. v. 18. licentia matrimonii cum defunctæ Uxoris Sorore ineundi evidenter probari poſſit?

Circa hoc problema non una eademque omnium eſt ſententia, ſed mirum in modum variant Doctores. Affirmativam Pontificii ad unum fere omnes (quos multi tum ex Theologis tum JCtis noſtris ſequuntur) tueri audent, unde operæ pretium fore rati, ſi ductu recte ſentientium mentem Spiritus S. dicto loco, ad quem tanquam primarium fundamentum pro ſtabilienda ſententia ſua provocant adverſarii, inveſtigaremus. Verba autem Textus juxta verſionem S. Schmidii hæc ſunt: Mulierem ad Sororem ejus non accipies ad æmulandum, revelando nuditatem ejus præter illam in vita ejus. Ex quibus inferunt diſſentientes (1) quidem à particulis limitativis, earumque ſenſu contrario, prohibitum eſt uxoris ſororem ducere ad eam affligendam, ipſa adhuc vivente E. conditionibus his ſublatis, ceſſante videl. afflictione & uxore mortua permiſſum intelligitur. Ubicunque enim Legislator ipſe limitavit, ibi & nobis limitanda ac reſtringenda eſt prohibitio ad conditiones iſtas, hisque ceſſantibus ceſſat prohibitio ipſa. Atqui in l. c. Legislator ipſe limitavit E. ἄτοπον quippe foret, inquiunt, id quod DEUS cum reſtrictione aliqua prohibuit, interpretari velle tanquàm ſimpliciter prohibitum, cur non ſimpliciter & ſine limitatione locutus? (2) à calculo Lutheri concludunt, qui in libello, cui titulus: Vom Ehlichen Leben/ idem plane ſentiat, atque uxoris defunctæ ſororem ducere permittat. (3) denique ex verſu controverſum immediate ſubſequenti 19. argumentantur: Quemadmodum ſequens comma ejusdem cum antecedenti tenoris nullam deſignat continuitatem, quaſi marito cum uxore ſua, non amplius menſtruata & immunda, haud liceret congredi; ita pariter antecedens verſus nequaquam perpetuitatem aliquam indicat, quaſi Marito conjuge ſua vivis evocata non integrum foret nuptias cum Sorore ejus contrahere. Ad has autem exceptiones prolatas R. (1) juxta vulgatum Aphoriſmum: Non ſtatim ponitur conſequens, dum negatur antecedens, vel excluſiva temporis antecedentis non ſemper infert incluſivam temporis ſequentis, ſed adjecta excluſiva ſæpius ſimplicem complectitur negationem, ita ut oratio per nunquam ſit exponenda. v. g. Si Pater aliquis ad Filium ſuum dixerit, Studium Medicum me vivo non aggrediaris, ex adjecta reſtrictione non licet colligere, quod filius demum poſt mortem ejus ſtudium illud eligat. Ita quando Davides Pſal. 146. v. 2. exclamat,

Laudabo Dominum usque dum ſpiro, ficulnea certe foret concluſio E. poſtquam ſpirare deſierit, non amplius laudabit Dominum in cœlis. adde 1. Sam. 1. v. 11, 28. Pſal. 23. v. 6. unde ex eo, quod ſcriptum eſt, monente Baſilio, non temere colligendum, quod ſcriptum non eſt, neque quicquid in vita alicujus prohibitum, id poſt mortem ſtatim licitum cenſeri debet. Quapropter non ſequitur, DEUS duas ſorores ſimul in torum aſciſcere vetuit E. ſucceſſive permiſit. Argumentum à ſenſu contrario petitum ut alias infirmum eſt, ita nulla ratione procedit, quando inde fluit abſurdum, vel contrarium ejus ex alio ſcripturæ teſtimonio demonſtratur, quod in caſu propoſito contingit, comma enim 16. c. 18. & com. 21. c. 20. quæ æque ſunt divina veritas ac comma 18. c. 18. prohibitionem de non ducenda uxoris defunctæ ſorore, in eodem affinitatis gradu, quo fratria, marito conjuncta, virtualiter ac per analogiam complectuntur. Stante igitur hypotheſi Antagoniſtarum verſus modo allegati manifeſtam involvunt contradictionem, nam DEUS in eodem affinitatis gradu matrimonium prohibuiſſe & permiſiſſe dicendus eſt. Accedit, quod particulæ reſtrictivæ præcepto negativo junctæ non ſemper conditionem, qua ſublata ipſa præcepti obligatio tollatur, ſed ſæpe exaggerationem denotent, prout ex ſequentibus Spiritus ſancti oraculis liquet e. g. Prov. 23. v. 22. in translatione Germanica habetur: **Verachte deine Mutter nicht / wann ſie alt wird.** Inde tamen neutiquam licet inferre, matrem, quæ nondum conſenuit, debere contemni, verum exaggeratur gravitas peccati, ſi quis matrem etiam ſenem deſpiciat conf. 1. Reg. 1. v. 6. Prov. 31. v. 12. Sir. 3. v. 13. 14. Porro Cohel. 12. v. 1. in verſione Lutheri legitur: **Gedencke an deinen Schöpffer in deiner Jugend/ oder weil du noch jung biſt.** exinde vero concludi nequit, quod aliis diebus aut temporibus creatoris obliviſci deceat, ſed quod maxime tempore juventutis ejuſdem recordari conveniat. Ita ſi quis degeneri filio hoc præceptum det, noli furari in vita patris tui ad anguſtandum eum, is certe huic licentiam furandi poſt obitum Parentis minime facit, ſed exaggerat potius ſcelus, ſi vivo etiamnum ac ſuperſtite Patre deſignetur. Proinde, quoniam quoque Deus exaggerare voluit *ἀνομίαν* huic conjugio adhærentem, adjecit *προσδιορισμὸν* exaggerativum. Ut ut ergò ceſſet poſt mortem uxoris cauſa ſpecialis in prohibitione expreſſa vid. æmulatio, afflictio vel anguſtia, qualis erat inter Leam & Rachelem, non ceſſat tamen cauſa generalis, propinquitas carnis v. 6. & cauſa de non ducenda fratria v. 16. Lev. 18. quæ ſemper durant, ſive intermediæ perſonæ adhuc ſint in vivis, ſive iis exemtæ. (2) Quod B. Lutherum attinet, jamdudum monuerunt Theologi noſtrates, diſcernenda

eſſe

ſſe ejus ſcripta priora à poſterioribus, in his enim ſententiam ſuam mutavit, t manifeſtum eſt ex Reſcripto quodam Conſiſtorii Wittebergenſis, ab ipſo eliquisque illius ævi Theologis in caſu matrimonii cum defunctæ uxoris ſoore initi promulgato, quod extat apud B. H. Müllerum in libello, qui inſcriitur: **Ungerathene Ehe** p. m. 33. & 34. quo Lutherus conjugium hoc non molo tanquam illicitum pronunciavit, ſed eidem etiam gravem conſtituit pœiam. Imo quid mirum? Si Megalander noſter ex Cimmeriis & Ægyptiacis Papatus tenebris non uno impetu ſed ſenſim ſenſimque ſingulari DEI beneficio emergens annis prioribus nonnulla liberius ediſſeruit, nihil enim humani n Lutherum cecidiſſe, quem Deus inter homines & hominem eſſe voluit, cira ſuperſtitionem nemo ſibi perſuadebit. Hinc ſcripta ejus non ut Canonica habemus, ſed ex Canonicis conſideramus, & quod in iis divinarum ſcripturarum autoritati congruit, cum laude ejus accipimus, quod non congruit, cum pace ejus reſpuimus. Notatu autem dignum eſt, quod ipſe ſibi ſuis ſcriptis vaticinatus ſit: *poſt mortem meam multi libros meos proferent in medium, & inde omnis generis errores & deliria ſua confirmabunt.* (3.) Diſpar ratio eſt verſus textum controverſum immediate ſequentis, nam quod marito cum uxore non amplius immunda conſueſcere liceat, ex Revelatione divina liquet, non item, quod ſororem demortuæ uxoris ſibi adjungere fas ſit. (4.) denique ſunt, qui clauſulam hanc בחייה per trajectionem referendam cenſent non ad uxorem ſed ad illius ſororem, ut ſenſus verborum ſit: Non accipies uxorem ad ſororem ejus &c. ſuper eam in vita ejus ſc. ſororis h. e. nunquam accipies. Et ſane, ſi quis dixerit, promiſi ſocrui meæ, me ex imis fibris dilecturum filiam ejus, quoad vixerit, conditio adjecta refertur non ad ſocrum, ſed ad filiam. Cùm autem trajectio in præſenti textu videatur paulo coactior, ſecundum alios ut Calovium in Bibl. Illuſtr. ad h. l. Scherz. Coll. Antiſoc. fol. 350. Seb. Schmid. Comment. in Geneſ. p. 441. Schom. in **Th.** Mor. cap. XIV. §. 6. Hafenref. Lib. 3. LL. Th. p. m. 789. ſeqq. & Dign. Dn. Præſ. l. c. p. m. 538. prohibitio διγαμίας & conſequenter πολυγαμίας ſimultaneæ, præceptumque μονογαμίας h. l. continetur, ne quis videl. uxori ſuæ ſuperſtiti aliam quamcunque ſuperinducat, ſed poſt mortem prioris demum exemplo Abrahæ ad ἑτερογαμίαν ceu licitam tranſeat Gen. 25. v. 1. Deut. 25. v. 5. Ezech. 44. v. 22. Matth. 22. v. 24. ſeqq. Rom. 7. v. 2, 3. 1. Cor. 7. v. 8. 9. 39. 1. Tim. 5. v. 14. quæ interpretatio non temere rejicienda eſt, (α) quia teſte Noldio phraſis אשה אל אחתה elegantiſſimo linguæ Hebraicæ idiotiſmo nunquam in ſacris literis de Sororibus Germanis, ſed ſemper de uno ad alterum uſurpatur, nec ſolum ſenſu metaphorico

 de rebus

rebus inanimatis & ratione destitutis ut Exod. 26. v. 3. 5. 6. 17. Ezech. 1. v. 9. 23. c. 3. v. 13. ubi LXX. vertunt ἑτέρα τῇ ἑτέρᾳ altera alteri, sed & de Creaturis animatis & ratione præditis ita sumitur, licet non sint sorores, uti haud obscure liquet ex Exod. 11. v. 2. Jer. 9. v. 19. & ex phrasi analoga איש אל אחיו Exod. 16. v. 15. Num. 14. v. 4. 2. Reg. 7. v. 6. Jer. 13. v. 14. c. 23. v. 35. c. 25. v. 26. Ezech. 24. v. 23. conf. Gen. 26. v. 31. Exod. 10. v. 23. c. 32. v. 27. Lev. 25. v. 14. 46. c. 26. v. 37. Deut. 25. v. 11. Neh. 5. v. 7. Esa. 3. v. 6. c. 19. v. 2. Jer. 31. v. 34. Ezech. 33. v. 30. c. 38. v. 21. Zach. 7. v. 9. 10. Mal. 2. v. 10. neque etiam Hebræi, prout Goussetus testatur, alia phrasi gaudent, qua unum ad alterum exprimunt (β) qui interdictum Polygamiæ Gen. 2. v. 24. exoleverat, Deus illud hîc iterasse videtur (γ) quia duæ vel plures uxores simul ductæ sese mutuo æque affligunt ac duæ sorores exemplo Hannæ & Peninnæ 1. Sam. 1. v. 6. 7. Reliquas, quæ pro hac expositione proferuntur rationes vide apud Scherz. in Syst. L. XXV. p. m. 778. & Meyer. in Ux. Christ. Sect. IV. c. 4 p. 203. Si quis vero existimaverit, hanc sententiam cum versibus antecedentibus 9. 12. 13. non posse consistere, eo quod in illis vocabulum אחות proprie notet sororem, neque ibi solummodo sed & in reliquis versiculis de differentia cognationum speciatim & ex professo agatur. Huic ℞. (a) Vox אחות seorsim vel separatim sumta plerumque significat sororem uterinam, sed non si alteri vocabulo אשה juncta legitur (b) In uno sæpe versu nedum in uno capite ejusdem vocis diversus est significatus. Sic Matth. 12. v. 46- 50. appellationes fratrum, matris, sororis proprie v. 46. 47. & improprie v. 49. 50. usurpantur conf. Marc. 3. v. 31.- 35. Luc. 8. v. 19- 21. Psal. 22. v. 23. Joh. 20. v. 17. Ebr. 2. v. 11. 12. 17. item Matt. 13. v. 55. 56. Marc. 6. v. 3. Gal. 1. v. 19. Christus quidem μονογενὴς nullos habuit fratres & sorores natura vel gente tales, tamen quoad cognationem eandemque familiam, sicut Abraham & Loth, qui ex priori fratre nepos erat Gen. 11. v. 27. c. 14. v. 12. nihilominus fratres dicuntur Gen. 13. v. 8. c. 14. v. 14. 16. unde voces hæ mystice acceptæ notant eos, qui Christum in fide, non in corpore ad instar matris alicujus concipiunt, qui per Spiritum i. e. regenerationem & non per carnem fratres & sorores Christi evadunt. Ita Paulus 1. Cor. 9. v. 5. per sororem non intelligit sanguinis communione, sed fidei & religionis professione talem h. e. Christianam Conjugem conf. 1. Cor. 7. v. 15. Rom. 16. v. 1. Jac. 2. v. 15. nam quis credat singulos Apostolos germanas habuisse sorores? quapropter quidam invertunt phrasin hoc modo: haben wir nicht macht ein Weib zur Schwester mit umher zu führen? (c) non per integrum caput sermo est de differentia cognationum vid. v. 21 22. 23. In genealogia Christi à Matthæo & Luca descripta differentia cognationum ejus expresse habetur, hac autem non obstante Spiritus S. voculis quibusdam

busdam diversum in una serie tribuit significatum, nam Luc. 3. v. 23. Josephus nuncupatur filius Eli, qui tamen patrem nactus fuerat Jacobum Matt. 1. v. 16. qua de causa à plurimis Interpretibus gener Eli censetur, prout olim Naemi nurus suas vocavit filias Ruth 1. v. 11. adde, quod Matthæus c. 1. v. 8. digitum intendat in generationem mediatam, omissis tribus regibus intermediis, veluti aliàs nepos ab avo suo gigni dicitur, quo sensu nos omnes ab uno Adamo procreatos esse recte affirmatur Act. 17. v. 26. In præcedentibus autem versiculis sermo Evangelistæ est de generatione immediata, sicut hodienum filius à Patre suo immediate gignitur. Ex quibus exemplis luculenter dispalescit, vocem aliquam sub finem capitis non eo sensu semper accipi, quo accipiebatur ab initio, imo inde colligitur, Deum casibus nonnullis in specie prohibitis postea interdixisse πολυγυναικίαν in genere. Sed dices, ita injuriam fieri B. Luthero recedendo ab ipsius translatione. At licebit utique textu originali reclamante eam deserere, etiamsi malitiose & scienter ab ipso corruptus non sit. Postremò finge per vocem אחות notari sororem proprie sic dictam, sensus literæ tamen stricte retineri nequit, quia analogia fidei aliaque clara & indubitata loca manifeste repugnantia tropicam explicationem requirunt. Etsi autem vel maxime in V. T. matrimonium cum defunctæ uxoris sorore inire licuisset, ex mente tamen nonnullorum ea hujus conjugii fuisset ratio, quæ fuit divortii, ut nonnisi ob σκληροκαρδίαν Judæorum Moses permisisset, cui in N. T. nullus jam relictus est locus. Adi, si lubet D. Havem. in Ass. Resp. Mos. D. Sonntag. in Dissert. de sanct. Conn. Par. & Kettn. in pec. Disquis. circa h. l.

Quæstio V.

An Polygamia Patrum V. T. veri nominis peccatum fuerit?

Circa hanc controversiam etsi multi negativæ subscribant, nobis tamen affirmativa placet

I. Quia Polygamia Patriarcharum pugnat cum primæva Conjugii institutione Gen. 1. v. 27. c. 2. v. 24. quæ vim legis & præcepti habet, non quidem quoad *actus exercitium*, ut omnes indifferenter matrimonium inire cogantur, sed quoad *actus specificationem*, ut matrimonium contrahentes non alio modo id contrahant, quam à DEO institutum esse legunt. Institutum est autem inter unum marem & unam fœminam, E. præceptum hoc ipso fuit, ut nonnisi inter unum marem & unam fœminam ineatur. Etenim, si DEUS

plures

plures uxores uni viro voluiſſet jungi, circa rerum primordia non unam tan-
tum genialis tori ſociam , ſed plures condidiſſet, potentia enim ejus neuti-
quam exhauſta erat ad plures ex eodem virili latere formandas. Jam vero in
ſummo illo neceſſitatis caſu, quo vacuus orbis Colonis replendus & plurimis
myriadibus alendis ſufficiens polygamiam jure quaſi ſuo poſtularet , unicam
tantum & non plures condidit fœminas E. ſequitur, DEUM noluiſſe Polyga-
miam, ſed Monogamiam , ſequioribus temporibus, in quibus nulla ſimilis
neceſſitas evenit, ſtricte ſervandam. Quin maluit DEUS primum Sororum
Fratrumque conjugium tolerare , quam introducta polygamia id declinare,
quia ſemel introducta perpetui moris peſſimum exemplum dediſſet, Conſo-
brinarum vero exiſtentia ſtatim neceſſitatem cum Sororibus ſe miſcendi ſuſtu-
lit. Notandum autem eſt, quanquam vox שנים duo Gen. 2. v. 24. in textu
Ebræo κατὰ ῥητὸν non legatur, κατὰ πρᾶγμα tamen & διάνοιαν in co
continetur , nam ex circumſtantia temporis & ex immediate ſequentibus ver-
bis eruitur, neque enim, niſi quis Præadamitas cum Pererio ſomniaverit, in
univerſo mundo plures homines extitere, quam duo. Hinc mox ſubjungi-
tur , erant autem hi duo nudi. Et Chriſtus primævam Conjugii inſtitutio-
nem repetens , eamque à corruptelis Phariſaicis vindicans , voculam hanc
expreſſe addit, dicitque diſerte, eum qui fecit ab initio (is vero citra dubi-
um DEUS eſt) maſculum & fœminam feciſſe eos, & dixiſſe : propterea de-
ſeret homo Patrem & Matrem & agglutinabitur Uxori ſuæ , & erunt duo in
carnem unam. Non autem dixitis , qui ab initio hominem fecit maſculum
& fœminam, explicite, erunt duo in carnem unam, & tamen teſte Chriſto
infallibili ac omni exceptione majore Interprete id dixit E. implicite & quo
ad rem dixit illud. Eodem modo explicat Apoſtolus verba inſtitutioni
1. Cor. 6. v. 16. Eph. 5. v. 31. Excipiunt Πολυγαμόφιλοι (1) Si vel maxim
vox שנים admittatur in prima Conjugii Sanctione, eam tamen non haber
ſenſum excluſivum, quaſi non plures duobus matrimonio jungi liceat , cum
ab abſoluta propoſitione ad excluſivam non valeat conſequentia, quemadmo-
dum non valet, duæ perſonæ Sempronius & Caja interfuerunt ſacris E. tan-
tum hæ duæ interfuerunt ; ſed duos dici in carnem unam fore, quod ſocieta
conjugalis minimùm duas requirat perſonas , marem ſcil. & fœminam, qu
unam ſimplicem ſocietatem conjugalem conſtituant. Quod ſi uni viro plure
aſſocientur uxores, eſſe & hanc veram ſocietatem conjugalem, utut non ſim-
plicem , tamen compoſitam, uni enim relatorum plura reſpondere correla
ſicut v. g. unus Dominus σχέσιν & relationem habet ad plures ſervos , unu

pare

ter ad plures filios & filias, cum quorum quolibet unam ſimplicem, cum nnibus vero junctim ſumtis unam compoſitam ſocietatem conſtituunt. Sed Quod vocula δύο hîc accipienda ſit excluſive, & vi primævæ inſtitutios non plures una uxores cum uno marito in unam carnem coaleſcere debeant, quet (*a*) ex allegatione Chriſti ejusque Apoſtoli Matth. 19. v. 5. Marc. 10. v. 8. Cor. 6. v. 16. Eph. 5. v. 31. ubi articulus demonſtrativus binario præfixus ονται OI δύο numerum definit & determinat conf. Matth. 21. v. 31. c. 25. v. 17. c. 27. 21. Gal. 4. v. 24. Eph. 2. v. 15. Phil. 1. v. 23. Apoc. 11. v. 4. dein conjunctio conjugalis ius viri cum pluribus uxoribus ſive Polygamia ſimultanea per ſe & naturâ ſuâ imrtat adulterium. Cujus rei ratio alia fingi non poteſt, quam quod vi divinæ nctionis conjugium tantum ſit inter duos, ut una plures uxores ducere marito n liceat. Neque opus habuiſſet Chriſtus numerum exprimere, niſi hoc ipſo voſſet docere, duos tantum in matrimonio debere conjungi, ſoli enim indiſſoluitati ſatis fuiſſet dixiſſe: conjuges debent eſſe una caro (*b*) diſparatio eſt ſoetatis conjugalis & aliarum ſocietatum, nam quod concernit herilem & panam ſocietatem nec natura nec ulla inſtitutio divina aut humana eas reſtrin ad duas perſonas ſicut maritalis à primæva inſtitutione ejusque Interpre Chriſto ad duas perſonas eſt reſtricta. Accedit, quod Dominus plures ſibi ſciſcens ſervos coire quidem ſoleat cum illis in unam ſocietatem, ſicut & ter cum pluribus filiis, non tamen in unam carnem, ut maritus vi conſenſus njugalis cum uxore, ſed ſervus ad Dominum ſe habet, ut inſtrumentum animam ad agens principale & filius ad patrem ſe habet ut effectus ad cauſam. uemadmodum autem non repugnat, cauſam principalem pluribus uti inſtruentis & unum patrem per plures generationis actus iteratos plurium liberon cauſam eſſe, pluribusque de carne ſua impertiri carnem: ita non repugnat ri ſocietatem herilem compoſitam inter Dominum unum & plures ſervos, ſocietatem paternam compoſitam inter patrem unum & liberos plures. Ali autem ſe res habet cum ſocietate conjugali, quâ non datur alia præter ſimcem, quæ eſt inter unum maritum & unam uxorem, uti loquuntur Muſ. & chm. ll. c. (2.) regerunt Polygamiæ advocati ad loc. cit. eum non interdicere uralitatem fœminarum, ſed vinculi conjugalis indiſſolubilitatem injungere, de c enim & non illa Matt. 19. Salvatori & Phariſæis fuiſſe ſermonem, hinc exinde ntra polygamiam colligi nihil poſſe. At male opponuntur indiſſolubilitas monogamia, cum inter ſe non pugnent, ut à poſitione illius ad negationem jus concludi fas ſit, quin potius duo iſta ſimul ſubſiſtere poſſunt, quia non

ſolum

ſolum maritus jubetur adhærere uxori ſuæ, ſed etiam numerus definitur ſocietatem colentium, in qua adhæſio fieri debet. Utrumque DEUS aſſerit, & indiſſolubile & monogamicum eſſe debere matrimonium. Et contra præceptum contra quod peccat divortium, peccat etiam polygamia, uni enim Legi & divortium & polygamia contrariatur. Quamvis Phariſæi non de polygamia ſed de divortio quæſtionem moverint, ratio tamen illa, ob quam Chriſtus divorti injuſta pronuntiat, etiam polygamiæ obſtat. Imò magis polygamiæ quam divortio, nam Chriſtus ideo improbat divortia, quia primæ inſtitution non conveniunt, jam hæc directo obſtat polygamiæ, neque enim ex eo, quo Deus creavit maſculum & fœminam, æque ſtatim apparet in juſtitia divortii quam polygamiæ. Adhæc non ex quæſtione Phariſæorum de divortio, ſe Reſponſo Chriſti argumentamur, utpote quod latius ſe extendit quam quæſi tum. Idque in Colloquiis ejus ſæpius obſervatur, inprimis Matth. 22. v. 2 ſeqq. ubi ex aſſerto Chriſti, Beati erunt ἰσάγγελοι tum ἀναμαρτησία tu ἀθανασία eorum recte colligitur, etiamſi neutrum in quæſtionem tum ven rit, unus enim medius terminus ex beneficio materiæ vel nexus rerum tale cognationem inter ſe habentium, ut una involvat alteram, ſæpe applicabil eſt multis concluſionibus. Atque ſic unum idemque reſponſum Chriſti, qu nexus datur inter illud & concluſum noſtrum, non minus contra divortium quam polygamiam militat. (3) opponunt polygamiæ propugnatores, ſi de prima cujusque rei inſtitutione legitima ejusdem ratio petenda, ſequitur, Sacram Cœnam quoque non pluribus, quam duodecim maribus ſimul, & quiden non ſecularis, ſed eccleſiaſtici ordinis diſtribuendam eſſe. Verum diſtingui mus inter inſtitutionis *ſubſtantialia* & *accidentalia*. Inſtitutio divina matrimonii & ſacramentorum utique norma eſt, ad quam tanquam ad Lydium lapidem actiones illæ conformari debent, haudquaquam vero quoad *adiaphora* & *circumſtantialia*, quæ non ſpecialiter ad ipſum actum vel ſtatum pertinent, adeoq; libertati Eccleſiæ relinquuntur, alias Euchariſtia nonniſi eodem loco & tempore vide in hoſpitio & tempore Paſchali ac veſpertino, quo inſtituta olim fuit, celebranda eſſet, ſed quoad *neceſſaria* & *eſſentialia*. Hinc ex collatione matrimonii cum ſacramentis multum ponderis doctrinæ monogamicæ acced Quemadmodum enim non licet in Baptiſmo aquam, in S. cœna panem & vinum cum alia materia permutare; ita nec determinatam à DEO bigam in trigam aut quadrigas pervertere. Ratio connexionis eſt, quia numerus bin rius perſonarum, quæ vinculo conjugali in unam carnem copulandæ ſun cauſam materialem hujus ſtatus conſtituit, materia autem tanquam cauſa in

teri

nterna essentiam rei ingreditur. Denique Apostoli in prima cœnæ institutione non ut Sacerdotes sed ut Christiani & Fideles Eucharistiam sumserunt, on enim *individualiter* vel *personaliter* considerabantur, sed *repræsentative*, rout repræsentabant totam Ecclesiam. Nec soli Clero ordinatum est sacrum oc epulum docente Paulo 1. Cor. 11. v. 18. 20. sqq. 28. 33. Neque Christus nquam in verbis institutionis dixit: duodecim interesse debent Sacræ Cœnæ, icut dixit: duo debent esse una caro. Plura dabit D. Weickm. in Justit. Cauæ oppos. D. Willenb. in Controv. de Polyg. Sim.

II. Calculo plurimorum Interpretum Christianorum, quorum nonnullos n proxime præcedenti quæstione adduximus, Polygamia prohibita est Lev. 18. r. 18. quæ verba ex textu Hebræo ita vertenda censent: Et mulierem ad alteam ne accipito angustia afficiendo, retegendo nuditatem ejus super hanc in ita ipsius. Expressum polygamiæ interdictum legitur Deut. 17. v. 17. contra uod Davides (vir secundum cor Dei, quoad religionis exercitium) & Salono, quia Reges erant, in specie egerunt. vid. Prov. 31. v. 3. Nec est, quod quis hîc istinguat inter Polygamiam *excessivam* ac *mediocrem*, & illam, non hanc Deut. 7. v. 17. prohibitam esse censeat, quemadmodum com. antecedente 16. nimia uidem, non tamen omnis equorum multiplicatio Regi interdicta. Alia enim atio est equorum cæterorumque animalium, alia hominum, quos Deus conunxit, ut duo essent in unam carnem. Sæpe conjunguntur in Scriptura Sacra, uæ non sunt ejusdem generis ut Act. 15. v. 20. 29. & passim videre est. conf. Meyer l. c. S. 4. c. 6. p. 220.

III. Polygamia Mal. 2. v. 14. 15. improbatur, utut enim Interpretes tam Judæi quam Christiani in loco hoc difficillimo pariter ac vexatissimo circa subjectum, de quo loquitur Propheta, non conspirent, ibidem tamen non minus olygamiam quam repudium impugnari constat (1.) quia Deus expressè testatus sse dicitur inter te & uxorem (non uxores) adolescentiæ tuæ h.e. uxorem primam uam in vegeta ætate duxisti. (2.) quia reprehenditur populus, quod perfide gerit quisque in uxorem suam, perfidia autem adversus conjugem admittiur non solum divortio sed & polygamia, sicuti Israelitæ perfide agebant in Deum non plane eum relinquendo, sed alienos DEOS simul sociando & colendo. (3.) quia uxor vocatur socia tua, cum qua societas rumpitur, si alia i superinducatur (4.) denique quod ex plerorumque mente Deus unum tanum par, masculum & fœminam creasse dicitur, idque non ex defectu spiritus seu virium, quæ pluribus fœminis producendis suffecissent, sed quia polygamia ipsi displicuit. vid. B. Scherz. Coll. A. S. Disp. 139. Siric. Uxor. Una p. 121. sqq. Bez. contra Ochin. p. 24. & Ames. de Consc. L. 5. c. 35. p. 361. 362.

IV. Quicquid ſub V. T. ſive per diſpenſationem ſive per tolerantiam fuit permittendum, hoc contra leges adeoque peccatum erat, abſonum namque foret permiſſum quoddam aut diſpenſationem aliquam fingere, nulla exiſtente Lege,quæ ſecus agere prohiberet. Dicat aliquis, Renati, quales Patriarchas fuiſſe indubium eſt, non facere peeccatum 1. Joh. 3. v. 9. R. Loquitur Johannes (a) de hominibus renatis, in ſenſu reduplicativo ſpectatis, quatenus renati ſunt ſive in ſtatu regenerationis exiſtunt (b) de peccatis proæreticis & mortalibus, nequaquam de non-proæreticis & venialibus, cujus generis erat polygamia Patriarcharum, quippe ad condemnationem ipſis non imputata, ſed condonata remiſſaque, conf. fuſius in h. l. B. Dorſch. Ζητημ. in 1.Epiſt.Joh.c.3. Q.10,12. & D.D.D.Pfaff. in Diſſert. Inaug. de indole div. Renat. Quum autem præſens quæſtio articulus fidei ad ſalutem neceſſarius non ſit, ſed potius ſuper facto controverſia, diutius e immorari nolumus. Utrumque interim quivis caveat extremorum, videl. ne priſcos Veteris fœderis Patres damnet, & ne illorum peccato patrocinetur.

Tu vero Summe Deus, qui es fons omnis ſapientiæ & ſcientiæ, depelle intellectus noſtri caliginoſi tenebras, largire ſapientiam cœlitus, quò verum verbi Tui ſenſum cœleſtemque veritatem inquiramus, inquiſitam perpendamus, perpenſam ad Nominis tui gloriam transferamus: Serva nos Domine in Veritate tua, Sermo tuus eſt veritas.

COROLLARIA.

I. Status Conjugalis naturâ ſuâ non eſt impurus, ſed ſanctus, ab ipſo Deo ante lapſum inſtitutus & poſt lapſum renovatus Gen. 1. v. 27. 28. c. 2. v. 18. 22. 24. c. 5 v. 2. c. 9. v. 1. Pſal. 111. v. 3. Tob. 8. v. 5. Matt. 19. v. 4. ſqq. 1. Cor. 7. v. 14 1. Tim. 2. v. 15. 1. Petr. 3. v. 2.

II. Non angelis, in quorum natura nulla eſt propagatio, ſed hominibus tam Laicis, quam Clericis conjugium inſtitutum & conceſſum eſt. Levit. 21. v. 7. 13. 14 Ezech. 44. v. 22. Dan. 11. v. 37. Matt. 19. v. 11. 1. Cor. 7. v. 2. 9. 28. 36. 38. c. 9 v. 5. 1. Tim. 3. v. 2. 4. 11. 12. c. 4. v. 1. 3. Tit. 1. v. 6. Ebr. 13. v. 4.

III. Cœlibatus utut in perſonis dono continentiæ præditis non ſit improbandus, ad eum tamen ſuſcipiendum nemo lege adſtringendus eſt 1. Cor. 7. v. 7. 8. 9. 35

IV. Matrimonium, cum deſtituatur requiſitis ſacramentorum eſſentialibus veri nominis ſacramentum jure negatur:

V. Quanquam benedictio Sacerdotalis Lege divina ſpeciali non requiratur, obſervatu tamen neceſſaria eſt ad evitandum ſcandalum 1. Cor. 14. v. 40. Phil. 4. 8.

VI. Perſona deſponſata ante matrimonium conſummatum cum alia concumbens adulterium commitrit Gen. 29. v. 21. Deut. 22. v. 23. 24. Matt. 1. v. 20. 24.


VII

VII. Prohibitio Mosaica Lev. 18. & 20. non solum personas expresse nominatas, sed etiam gradus æque cognatos vel distantes complectitur.

VIII. Quemadmodum Parentum consensus non excludit consensum eorum, inter quos matrimonium contrahendum est; Sic consensus horum non excludit consensum Parentum Exod. 20. v. 12. c. 22. v. 17. c. 34. v. 16. Num. 30. v. 6. Deut. 5. v. 16. c. 7. v. 3. Prov. 1. v. 8. c. 6. v. 20. c. 23. v. 22. Jer. 29. v. 6. Tob. 4. v. 3. c. 6. v. 14. Sir. 3. v. 9. c. 7. v. 27. Matt. 15. v. 4. Marc. 7. v. 10. 1. Cor. 7. v. 36. 37. Eph. 6. v. 1. 2. Col. 3. v. 20.

IX. In personis matrimonio jungendis requiritur tum habilitas *physica* sc. qua animum judicii integritas & sanitas, quâ corpus aptitudo & justa ætas; tum *moralis*, ne impediantur ex consanguinitate & affinitate.

X. Disparitas Religionis ob periculum seductionis dissuadet non dissolvit matrimonium Exod. 34. v. 16. Deut. 7. v. 3. 4. Jud. 3. v. 6. 7. 1. Reg. 11. v. 1-4. Sir. 47. v. 21. Matt. 5. v. 32. 1. Cor. 7. v. 12. 13.



HOc opus, hic labor est thalami de fœdere tantâ
Cum curâ nodos solvere difficiles.

Laudatissimis Clarissimi Dn. Autoris conatibus ita applaudit
D. JOH. CHRISTOPH. PFAFF, Præses.

AGnate, felix copula perplacet,
Quâ veritatis fit pietas comes:
O sic Deo ducente semper
Theiophilo benè cuncta cedant!

Ex voto & sub applausu
RUDOLPHI JACOBI CAMERARII, D.

PRopitio Cathedram conscendens Numine sacram
Spem Patriæ comples, & pia vota Patris!

De Academico specimine Dn. Cognato Charissimo gratulatur
ELIAS CAMERARIUS, D.

PRæside qui gaudes felix solido atque profundo
Thejologo, multum profice, disce, stude.

Benè disputanti Cognato applaudit
ALEXANDER CAMERARIUS, D.

WAnn des alten Adams Fleisch auf den Wollusts-Rosen geht
Muß der nimmer seelge Geist sich mit Dorn und Stacheln quälen/
Recht/ mein Freund! daß seine Seel sich mit JEsu will vermählen/
Weil man bey der Salems-Ros ewig so in Gnaden steht.

Zu Bezeugung seiner Schuldigkeit wolte dieses wenige beysetzen des Hrn. Resp. auffrichtiger Diener und Tisch-Compagnon
G. F. Seeger, LL. Stud.

SI vis esse aliquid, discas nihil esse: Supremam
Des summo laudem: Sic benedictus eris.
Copula cum CHRISTO TIBI sit, CAMERARIE, grata,
Copula cum mundo sit TIBI nulla, precor!

Venerabili & Præclarissimo Dn. Respondenti, Cognato, Amico, & Conterraneo suo Dilectissimo, hæc pauca cum voto omnigenæ salutis apponere voluit ac debuit.

JOH. JAC. WÜCHERER, S. S. Theol. Stud.

WEr etwas schönes baut / doch solches nicht erhält /
Hat nichts als lauter Spott und Schaden vor der Welt:
Er aber / wehrtster Freund / beschützet seine Schrifft
Mit grossem Ruhm / ob schon manch starcker Streich ihn trifft.

Zu schuldigsten Ehren seines hochgeehrten Herrn Vetters wolte diese schlechte Zeilen auffsetzen dessen ergebenster Diener und Vetter

Christoph David Gerlach / LL. Stud.

DUm cathedram doctam suavissime scandis Amice,
Gratulor ex animo, prospera cuncta fluant.
Egregioque Tuo par sit fortuna labori,
Cum meritis nunquam præmia Jova neget!

Ita Domino Auctori Dissertationis Clarissimo Cognato ac Fautori suo æstumatissimo vove

C. P. KALBFELL, Reuttlingensis.

DIsputat egregio noster *Camerarius* ausu!
Prospera perpetuò fata precemur *Ei*!

Honoratissimo Domino Cognato gratulatur

JOH. CHRISTOPHORUS CAMERARIUS, Med. Stud.

Improbus ecce! labor feliciter omnia vincit,
Quæ nunquam segnis mens superare potest:
Sic jam Respondens præclarus, dura ferendo
Adsiduus finem contigit huncce suum.

Paucis hisce Contubernali suavis. mentem suam benevolam ex officio declarare volu

Matthæus Wieland, Biberaco-Suevus Phil. & Theol. Stud.

QUam sis egregio dotatus acumine mentis,
Fœtus hic ingenii sat probat atque docet,
Gratulor ergo, Tuos profectus, suavis Amice,
In studiis istis non latuisse sacris.

Hæc pauca Clarissimo Dno Respondenti, Amico suo æstumatissimo adjicere vol. deb.

J. G. M. S. S.

QUò bene cedat opus, Tibi gratia Numinis adsit,
Scansuro Cathedram, Frater amande, precor.

Hæc gratulabundus apponere debuit

Phil. Godofr. Camerarius, Ser. Stip.